



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Q[uæ] accidentalis mutatio, quæ Sacramenti validitatem non impedit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

borum ; quia si sic , manifestum est , quod tollitur veritas Sacramenti. Manifestum est autem quòd si diminuaturs aliquid eorum quæ sunt de substantia forma Sacramentalis , tollitur debitus sensus verborum ; & ideo non perficitur Sacramentum. Vnde Didymus dicit in lib. 2. de Spiritu-sancto : Si quis ita baptizare conetur , ut unum de prædictis nominibus prætermittat ( scilicet Patris & Filii & Spiritus-sancti ) sine perfectione baptizabit.

Quæst. 3. Quænam est accidentalis mutatio formæ Sacramentorum adveniens , quæ eorum validitatem non impedit ?

Resp. Cùm sensus verborum , ut diximus ex Divo Thomâ , sit essentia formæ Sacramentorum , mutatio vocatur accidentalis , quando verba constituentia formam Sacramentorum , per eam mutationem non amittunt verum sensum , verumque significatum : Si subtrahatur aliquid , inquit Divus Thomas , quod non sit de substantia forma , talis diminutio, non tollit debitum sensum verborum ; & per consequens , nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistia , quæ est , Hoc est enim Corpus meum : Ly enim sublatum , non tollit debitum sensum verborum , & ideo non impedit perfectionem Sacramenti.

D. Th. 3. p.  
q. 60. art. 3.  
in corp.

Quæst. 4. Si aliquis propter ignorantiam linguæ Latinæ , sive ex negligentia , sive aliquo alio defectu naturali , corrumpere ita verba Sacramentorum , ut secundùm modum , quo ab eo proferrentur , non ampliùs in rigore eum sensum conservarent quem efficere deberent tanquam forma Sacramentorum , Sacramentum foret-ne validum. v. g. Si quis baptizando diceret : In nomine Patria , & Filia & Spiritua sancta ?